



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

112. An si quis commisit fornicationem sufficiat, si dicat in confessione,  
commisi grave peccatum in materia Castitatis cum soluta? Ex p. 3. tract.  
4. res. 76. alias 88.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

el incesto con la madre que con la hermana, o sobrina no muda especie sino solamente agrava, porque todos estos grados se oponen à la virtud de la piedad solamente, y cumplira el penitente con diez. Conectio incesto tantas vezes. Sigo esta opinion por facilitar la disculpa que ay en confessar estas materias, y por mirar por la fama del proximo. Ita ille.

4. Et hanc sententiam esse probabilem, & in praxi tutam tradidit me citato Trullench. in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. §. 1. numero 2. & etiam me citato Leandrus de Sacrament. tom. 1. tractat. 5. disputat. 8. tit. 3. quest. 76. numero 837. licet ipsi contrariam sententiam tanquam probabilem sequantur, quod etiam nouissimè sequitur Rocafull in Praxi Theolog. Moral. tom. 2. lib. 4. part. 4. cap. 6. num. 70. Sed nostram sententiam post hac scripta inveni me citato tenere etiam Doctum Patrem Thomam Tamburinum agentè de confessione lib. 2. cap. 7. §. 7. num. 48. ubi ait. Dico probabile esse nec consanguinitatem ab affinitate, nec vnum gradum ex his differre specie ab aliis. Vnde licet sine dubio grauius sit contra vnum gradum delinquere, v. g. contra primum cum matre, quam contra alium v. g. cum consobrina, tamen quia non mutatur species, puto non esse ea speciatim ex necessitate patefacienda. Ratio est, quia in omnibus his vna specie deformitas est (licet modo leuior, modo grauior) nempe contra reuerentiam debitam coniunctis, quod autem id oriatur interdum ex ipsa natura, vt in primo consanguinitatis gradu, & per alios etiam in secundo, interdum vero ex præcepto Ecclesie, vt in cæteris, & maxime in gradibus affinitatis, nihil specie diuersum ex hoc necessariò infertur: nam præceptum Superioris cum aliquod præcipit, ponit materiam præceptam in ea specie virtutis, ratione cuius illud præcipit, nunc autem Ecclesia abstinere ab illis congressibus præcipit propter eandem reuerentiam coniunctis debitam. Quod deinde gradus ipsi non mutant speciem, inde probatur, quia hi nihil aliud inferunt nisi maiorem, vel minorem coniunctionem, magis autem, & minus non variant speciem etiam in hac re nostra morali, nisi aliunde probetur esse contra particularem virtutem, vel particulariter contra diuersum recte rationis dictamen. Id quod hic quamuis multi probabiliter inuenire fatagant, nihilominus alij probabiliter item non inueniri posse contendunt. Ita ille.

## RESOL. CXII.

An si quis commisit fornicationem, sufficiat, si dicat, in confessione, commisi graue peccatum in materia castitatis cum soluta? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 87. aliis 88.

Sip hoc n  
Ref. seq. si  
gnanter à §.  
Interim.

§. 1. **H**æc questio ponitur pro illis, qui tenent circumstantias aggravantes non esse in confessione aperiendas, & illam apud neminem inueni, nisi nouissimè apud Turrianum de penit. q. 9. art. 2. disp. 29. dub. 2. ad arg. 5. ubi obseruat, quoddam recentiores aliqui censent probabile, talem modum confitendi sufficere, per se loquendo, licet penitens commiserit fornicationem. Et ipse hanc sententiam probabilem etiam putat, nam & contrariam, quam tenet, probabiliorem tantum vocat. Sed an sit verè talis, aliis iudicandum relinquo, communis enim vsus fidelium est in contrarium.

## RESOL. CXIII.

An copulam fuisse consummatam sic explicandam in confessione? Id est, an sufficiat in confessione explicare peccatum graue contra castitatem habitum cum soluta, &c. non explicata copula consummata? Ex quo deducitur, an etiam si quis consilio suo directè induxerit aliquem ad fornicandum, satisfaciat, si postea in confessione dicat, induxi meo consilio aliquem ad graue peccatum contra castitatem cum soluta, &c. Ex part. 1. tr. 5. & Misc. 5. Ref. 48.

§. 1. **V**idetur quod non, & hanc sententiam tantum probabilem admittit doctus Pater Hieronymus Ferratinus in suis disputationibus de scandalo, & correct. fratrum disput. 1. quest. 27. num. 40. ubi sic ait; Quæ super sunt non leues difficultates. Prima est: An si quis suo consilio directè induxerit aliquem ad fornicationem, satisfaciat, si postea in confessione dicat: Induxi meo consilio aliquem ad graue peccatum contra castitatem cum soluta, &c. sed quia hæc questio spectat potius ad modum confitendi, & alioqui valde est grauis, ac difficilis, non est huius loci, nec ita leuiter examinanda.

2. Interim respondeo breuiter, id specialiter pendere ex illa altera questio, vtrum scilicet ille, qui fornicatus est, satisfaciat simili confessione sui peccati, dicendo nimirum, se contra castitatem commisisse graue peccatum cum soluta. Id enim si concedatur sufficere, sufficiat etiam sine dubio in primo hoc casu directè inductionis ad fornicationem.

3. Diana tract. de Sacramentis resolut. 88. citat Turrianum de penit. quest. 9. art. 2. disp. 29. d. 2. ad arg. 5. Eumque ait, obseruasse, quod aliqui recentiores censent probabile, talem modum confitendi sufficere, per se loquendo, licet penitens commiserit fornicationem, & ipsum etiam hanc opinionem existimare probabilem, cum contrariam, & propriam probabiliorem tantum vocet.

4. Vnde ego etiam probabilem illam reputo. Ideoque probabile quoque existimo, quod sufficiat si ille qui per suum consilium cooperatus est directè ad eam fornicationem, confiteatur ita peccatum scandali, dicendo se suo consilio aliquem induxisse ad peccatum graue contra castitatem cum soluta. Ita ille.

5. Sed ego hanc sententiam olim impugnaui, & nunc iterum impugno; neque audeo tanquam probabilem admittere, per ea, quæ adduxit Dicastillus de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disp. 9. dub. 8. num. 456. ibi sic asserit: Disputatores aliqui publicè olim me audiente, defenderunt in Complutensi Vniuersitate non sine multorum admiratione (potius dixissent scandalo) satis, esse si quis fornicatus fuit, dicat in confessione, peccavi graue contra castitatem cum soluta, non explicata copula etiam si fuerit sequuta. Hos autem Theologos (si hoc nomine digni sunt) vix alioquin satis obseruantes Religiosi ordinis) bene perstrinxerunt Doctores alij, inter quos noster Turrianus, qui postea eorum suppresso nomine illos retulit in suo tractatu de Penit. disp. 29. dub. 2. ad 5. Preceptum illorum fundamentum erat, quod tactus, & oscula essent contra eandem virtutem castitatis cum copula, & non distingueretur eorum malitia specie à malitia culpæ.

6. Quicquid tamen illi effutuerint, asserendum omninò est tanquam verissimum, & communi Doctorem sensu firmatum, explicari debere copulam: nec sufficere si tantum in confessione dicatur, peccavi graue contra castitatem cum soluta, quia per illum modum confitendi non explicatur species, adeoque nec indiuiduum peccati, quantum sufficit ad dandum notitiam